



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 49. Cardinalis Borbonii mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

quagesimo obtento titulo S. Anastasiæ Sæc. XVI.  
A.C. 1556.  
honoratus est. Porro cum in Italiam  
a Papa rubrum galerum recepturus re-  
diret, Bononiæ in patria sua substitit,  
ibidemque magnificum exstruxit Pala-  
tium, suisque impensis in Ordinis Ere-  
mitarum S. Augustini templo Sacellum  
sub S. Joannis Baptistæ invocatione eri-  
gendum curavit, ubi etiam duodecima  
Februarii die Anno post Christum natum  
millesimo quingentesimo quinquagesimo  
sexto Bononiæ mortuus, & sub primo  
Pontificatus Pauli IV. Anno sepultus est.

## §. XLIX.

*Cardinalis Borbonii Mors.*

Alter ex illis, qui hoc anno objere, Ciacon. t. c.  
p. 386. San-  
Marth. hist.  
Geneal. de  
la Maison de  
France.  
erat Ludovicus Borbonius, natio-  
ne Gallus, & regio sanguine ortus;  
tertius enim, vel quartus erat filius  
Francisci Vindocinensis ultimi Comitis,  
qui Carolum VIII. in expeditione Nea-  
politana comitatus post Farnovanum  
prælium Vercellis decesserat. Matrem  
is habebat Mariam Lucemburgicam  
S. Pauli Comitissam, quæ dicta est *Ma-  
ter pauperum, & Religiosorum*, perman-  
sitque Vidua per annos quinquaginta,  
& unum. Ceterum Ludovicus die se-  
cunda Januarii Anno Incarnationis Do-  
minicæ millesimo quadringentesimo  
nonagesimo tertio Hami Picardiæ urbe  
pri-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556

primam lucem aspexit, susceptusque est e sacro fonte a Ludovico Borbonio Principe Rupis ad Jonem. Postea adhuc puer clericali donatus est tonsura a Georgio de Ambasia Cardinale: progressu autem temporis in Regio Navarræ Collegio tanto successu literis vacabat, ut Doctoris laurea decorari mereretur, unde nondum expleto decimo octavo ætatis anno Laudunensis Ecclesiæ Antistes creatus Patruo suo Carolo Lucemburgico successerat, pluresque alios Franciæ Episcopatus, Trecentem, Lucionensem, & Cenomanensem administravit: Multis quoque Cœnobiis præfuit, nam S. Cornelii in Compendieensi urbe: Divæ Mariæ a Columbis in diœcesi Carnotensi, & Divi Dionysii Parisiis; S. Leonardi de Ferrariis; S. Farronis in Meldensi civitate; S. Amandi, & SS. Sergii, & Bachi Andegavi Abbas fuit.

Denique a Leone X. cum vigesimum quartum ætatis annum attigisset, Anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo septimo Cardinalibus adscriptus fuit, ac rubrum galerum Lauduni in Monasterio S. Vincentii recepit, urbemque solemnî pompa ingressus est, comitantibus eum Rhemenfi Archiepiscopo, Catalaunensi, Suesionensi, Ambianensi, Bellovacensi, & Novio-

Noviomensi Episcopis. Mortuo demum Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.  
Cardinale Prato Archipræsule Seno-  
nensi eandem Sedem obtinuit, ac paulo  
post Margaritham Valesiam Francisci I.  
Filiam matrimonio conjunxit cum Ja-  
cobo Scotiæ Rege in Parisiensi D. Ma-  
riæ Templo, & Anno millesimo quingen-  
tesimo quadragesimo sexto Henricum II.  
primo-genitum Francisci Regis Filium  
aqua Sacri Baptismatis abluir, atque  
anno sequenti exequias ejusdem Fran-  
cisci I. in Basilica S. Dionysii celebra-  
vit, ubi etiam Anno Salvatoris nostri  
millesimo quingentesimo quadragesimo  
nono Catharinam Medicæam Franciæ  
Reginam inauguravit, missusque postea  
fuit tanquam Sedis Apostolicæ Lega-  
tus in Sabaudia Ducatum. Tandem  
pluribus aliis magni momenti negotiis  
rite defunctus Parisiis die undecima  
Martii in Palatio Borbonico mortalita-  
tem exiit, postquam sexagesimum ter-  
tium ætatis suæ annum emensus fue-  
rat. In ejus funere Petrus Gemellus  
insignis illius ævi Orator perorabat.

§. L.

*Cardinalis Sylvii extrema.*

Inter Cardinales hoc anno defunctos Ciazon.  
n. 675.  
Andr. Vi-  
lore in ad-  
dit.  
tertius erat Michael Sylvius Lusita-  
nus ex perillustri Comitum Portalegrio-  
rum familia natus. Hic a teneris arti-  
poe-